ENGELBERTUS ADMONTENSIS

1. Hälfte 14. Jh.

Seite 23v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26369
Copyright: Admont, Benediktinerstift

communia. et omnia ea communiter confovere. in quibus fama communis eorum generis celebratur et vivitur per eum. officium hoc fit vocatur karitas. ¶ Est autem karitas virtus per quam sanguine coniunctis debitus cultus tribuitur et affectus.

Capitulum xxvi. De officiis iustitie ad familiares et amicos.

Quintus gradus coniunctionis hominum adinvicem est amicitia familiarium. et inter amicitias omnes preclarior et constantior est amicitia virorum bonorum adinvicem. Et horum maxime qui conditione et moribus sunt adinvicem similes et conversatione familiares. Cause autem amicitie inter viros bonos precipue maxime sunt due secundum Tullium. videlicet eadem sive par in utrisque quoad alterum iustitia et liberalitas. Effectus autem et fructus amicitie est idem sentire et velle finaliter. et utrumque in altero tamquam in se alio delectari. ¶ Que sint autem officia et beneficia amicorum adinvicem in speciali Tullius in libro de amicitia. et Seneca in libro de beneficiis. et Philosophus viii. Ethicorum latissime describunt. ¶ Predicta autem officia iustitie procedunt ab hiis virtutibus per quas maxime societas humani generis conservatur. que sunt religio ad deum. equitas ad amicos. honor ad parentes. amor ad liberos et cognatos. reverentia ad superiores. equanimitas ad inferiores. concordia ad pares. pietas et humanitas ad omnes. sicut per singula supra est expressum.

Capitulum xxvii. De officiis iustitie ad totam communitatem.

Cum autem sint tot gradus coniunctionis hominum adinvicem ex quibus causantur et resultant diversa debita tot officiorum et beneficiorum inter diversos homines adinvicem sicut dictum est. Tullius addit illam coniunctionem qua unusquisque putatur universitati sive rei publice tamquam membrum corpori et tamquam pars toti colligatur. Alie enim coniunctiones sive gradus coniunctionum et officia ac beneficia debita sunt eorum sive singulorum ad singulos et quorundam ad quosdam. Hec autem est singulorum ad omnes et omnium ad singulos gratissima et sanctissima ac perfectissima societas. Dignius est enim in omnibus totum parte.

Capitulum xxviii. De officiis iustitie ad rem publicam.

Debita vero beneficiorum in quibus tenemur rei publice sunt ista. videlicet quod licet cari sint parentes cari liberi et dilecti familiares. tamen quia omnes omnium adinvicem karitates et officia atque beneficia et bona omnia singulorum communis patria complectitur tamquam omnia continens et conservans et prebens. ideo patrie sive rei publice amor et officium unicuique tale et tantum esse debet ut mortem non dubitet excipere. si per mortem prodesse valet non sine morte aut mortis periculo patrie prodesse. ¶ Et ex quo talis ac tantus amor et cultus patrie sive rei publice est habendus. Apparet ex hoc ut dicit Tullius quod detestabilis sit illorum inmanitas et crudelitas. qui omni scelere patriam et rem publicam lacerant et in ea inutiliter inmutanda vel funditus delenda occupantur.